

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

LXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

quam fieri non potest, ut aliquid sit, & tamen à DEO, qui intellectu gaudet, non cognoscatur. Ducit verò immane hoc & foedissimum prodigium originem ex matre haud minus turpi: nihil in se bonum esse aut malum; malitiam omnem atque bonitatem ex voluntate DEI, tanquam normâ radicali, dijudicari; de voluntate DEI nonnisi ex lege scriptâ constare; legis verò cuiuslibet obligationem præsentis vitæ pomœria non excedere. Hæc ostenta illa sunt, ex quibus tales enascuntur filia! Quâ verò de re occasione sexti & decimi argumenti contrarii amplius à nobis agetur. Hoc duntaxat adjicio, Robertum Parkerum, hominem Reformatum, cum vi absoluti, & res omnes causaliter antecedentis, decreti, non posset, nisi à voluntate DEI, tanquam mensurâ, conceptu nostro primâ atque ultimâ, bonum malumque derivare, maluisse tamen ex aliâ, nescio unde arreptâ, causâ, passionibus scilicet infernalibus, tanta scelera è manibus quasi damnatorum extorquere, quam eadem, quod conscientia ipsam horror prohibuit, illis vindicare, & peccata tamen esse, diffiteri. Quamquam stante illâ hypothese maleficia quælibet à damnatis patrata, quantumlibet nefaria & scelerata, veri tamen generis peccata esse nequeunt. Tantum nempe potest conscientia stimulus, à naturâ nobis inditus, quem suppressere quidem malitiosè licet, nunquam exuere; nam

*Naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit.*

LXXXVII. Remanet ergo, rejectis his opinionibus, seu falsis, quinta eaque vera sententia: peccaturos utique in inferno actualiter damnatos & DEUM blasphematuros: peccatum etiam hoc verum fore proprièque dictum peccatum.

LXXXVIII. Hanc thesin viginti illa argumenta, quæ in paragraphos à XLI. ad LXI. conjecta & à plerisque, quæ oboriri circa illa poterant, dubiis, ut prolixiori labore hoc loco superfedere possemus, vindicata sunt, validissimè probant. Nunc verò, ne quidquam desiderari possit, breviorẽ contra alias quascunque exceptiones defensionem adjiciemus.

LXXXIX. Fatemur autem, quoad argumentum I. locum Psalmi LXXIV. 23. qui in hebræo ita legitur: אל תשכח קול צריך שאון קמך עוליה תמיד,

P

tis